

9
1769, 16

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MORBIS QVIBVSDAM
INFLAMMATIONES
SIMVLANTIBVS AVT DISSIMVLANTIBVS.

QVAM
INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO
FACVLTAT. MED. SENIORE ETC.

PRO
GRADV DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XII. OCTOBR. CIOIOCLXIX.

PVBELICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS WILHELMVS RITTER
CALBA - MAGDEBVRGICVS.

HALAE
LITTERIS HENDLIANIS.

DISSERTATIO IN PRAESENTIA
MORBI QVI BVS DAM
INFLAMMATIONES
SIMILANTIS ET DISSEMBLANTIS

IN REGIA FRIDERICIANA
D. PHILIPPO ADOLPHO FORSTNERO
FACULTAT. MED. SECTIOE

GRADU DOCTORIS
ET FRIVILIO DOCTORALIS RITE CONSENSUS

FRIDERICVS WILHELMVS RITTER
CANCELLARIVS

HALLAE
LITTERIS HENDR. JANS.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MORBIS QVIBVSDAM
INFLAMMATIONES
SIMVLANTIBVS AVT DISSIMVLANTIBVS.

§. I.

Instituti ratio.

Dantur morbi, qui inflammatorii sunt, licet id, primo intuitu, minus esse videantur; dantur alii, quos, si dolorem et alia nonnulla inflammationum phaenomena respicias, inflammatorios iudicares, qui tamen bene intellecti longissime ab inflammationis natura recedere obseruantur. Facilis in vtroque casu error, cui vel ipsa nomina, morbis hisce a medicis imposta, nouam

noſtam ſuppeditant anſam. . Neque tamen leuis ſemper is ipſe error iudicari debet. Licet enim, ſi pathologiae ſolum rationem habeas, vilipendendus forſitan videri poſſit, neque etiam id facile omnes concedent: grauior tamen cenſeri debet, quando perpendis, pathologiam vel ipſam medendi methodum turbare poſſe. Cum ſcilicet pathologia ideo tractetur, atque addiſcatur, vt ad praxin medicam via ſternatur; cum claſſes, genera et ſpecies morborum ideo conſtituantur, vt, ex eorum aut ſimilitudine aut diſſimilitudine, ſiue conuenientia, ſiue diuerſitas medendi methodi eruatur: patet, errorem, quem dixi, non poſſe omni ex parte leuis haberi ac tolerandus. Neque ideo a dignitate Speciminis academici alienum eſſe duxi, ſi in exemplis quibusdam oſtenderem, morbos inflammationum naturam modo ſimulare modo diſſimulare.

MORBUS INFLAMMATORIORUM
§. II.
Morborum inflammatoriorum natura.

Ne fundamenta noſtrae Diſſertationis deſiderari queant: iuuabit, naturam morborum inflammatoriorum paucis deſcribere. Maſſa ſanguinis coagulabili quadam parte gaudet, quae vel preſſa nimium, vel agitata, vel enormi calore affecta, ſanguinis ſingulari, a reliquis diuerſam, ſpiffitudinem conſtituit. Hanc *inflammatoriam* dixere, cum morbos inflammatorios non ſolum producat, ſed etiam comitetur. Inflammatoria haec ſanguinis ſpiffitudo *vel* in toto vaſorum ſanguiferorum ſyſtemate praefſto eſt, *vel* in loco quodam particulari. Si prius: vel commota ſimul eſt, vel non. Si commota ſimul fuerit: febris aderit, quam inflammatoriam vniuerſalem vocare poſſumus; cuius ſpecimina ſiſtunt, febris varioloſa (plerumque ſaltim) ardens atque continens, ea inprimis, quae grauius aegrum affligit. Quodſi vero deſcripta ſanguinis ſpiffitudo in ſingulari tantum corporis parte contineatur: *vel* quieſcit, *vel* non. Si prius: ſanguis *vel* fortius ſimul verſus vaſa ruit,

ruit, in quibus obstruens spissitudo haeret, *vel non.* Quodsi inflammatoria sanguinis spissitudo quiescens haereat ita, vt imperus simul sanguinis versus eam partem augeatur: *particularis inflammatio* obtinere dicitur. Cuius tres statuuntur species, *vera* nimirum, *eryspelacea et oedematosa.* Quando nimirum, cum inflammationis symptomatibus, coagulabilis sanguinis portio condensata et acris, cum pauco rubro in vasculis serosis imprimis stagnat: *erysipelas* adest; quando eadem sanguinis pars, cum iisdem signis, sine tamen rubro admixto immeabilis haeret: *oedema calidum* assumunt; quando demum inflammatoria sanguinis spissitudo vasa arteriosa sanguifera ita obstruat, vt magna simul cruoris portio adsit: *vera* inflammatione corpus affici affirmant, eam prioribus contradistinguentes, quas *spuriarum* titulo comprehendunt. Quaeuis ergo aegritudo, quae inflammatoriis morbis adnumerari potest, duo sibi vindicat momenta. *Primo* nempe eam spissitudinem, quam inflammatoriam diximus; *deinde* autem impetum sanguinis, *vel* in toto corpore, *vel* in loco quodam adauctum. Quare etiam fas sit, omnes morbos ab iis separare, qui inflammatorii vocantur, quibus ea momenta inesse non obseruantur, licet hoc illudue forsitan inflammationum symptoma detegatur. Opus enim alias esset, vt innumeros alios morbos etiam ad inflammatorios referamus, eadem similitudine ducti, quos tamen omnes ab inflammatione distinguunt.

§. III.

Phrenitis inflammatoria.

Videntur medici, vnanimi fere consensu, eam delirii acuti, continui et plerumque ferocis speciem, quae ex inflammatione vel cerebri vel eius meningum enascitur, *phrenitidis* nomine comprehendere, eandemque in idiopathicam siue veram, et symptomaticam siue spuriam diuidere; prouti inflammatio ista, quam dixi, vel idiopathica existit, vel symptomatica. Sic certe BOERHAAVIUS

phrenitidem consideravit. Postquam enim (*Apbor. de cogn. et cur. morb. §. 775*) dixerat: *cadavera defunctorum a phrenitide exhibere meningis inflammatae; gangraenam, abscessum, sphaeculum cerebri, aut acres rodentes ichores: hinc §. 776. concludit: e quibus cunctis elicitur, causa proxima phrenitidis verae, inflammatio vera piaë matris duraeque primario orta; symptomatice vero inflammatio similis orta a raptu materiae phlogisticae, in cerebri meningis; quam ipsam sententiam, ex intellectis morbi symptomatibus, ulterius corroborat Perillustr. BOERHAAVII Commentator (Tom. II. pag. 605.). Neque Nicol. PISO, quem, cum veterum sententias collectas tradiderit, merito laudavit BOERHAAVIUS, ab ea sententia atque opinione abest, quamvis innuat, HIPPOCRATI interdum phrenitidem dici omnem affectum, in quo mens oblaesa sit. Ita enim phrenitidem definir: *phrenitis vera seu proprie dicta continua est, cum febre acuta dementia; vel est cerebri aut membranarum eius inflammatio cum febre acuta, delirium ac mentis percussione inducens. Quid? quod addit: cum phlogosis sola est, sicca est phrenitis.* Causas dein phrenitidis tradens, solius inflammationis rationem habet. Nam *oritur, inquit, phrenitis vera seu exquisita vel ex sanguine exsuperante: unde simplicis inflammationis rationem habet: vel ex bilioso humore cerebri aut eius membranas occupante, quae eryspelatoza inflammatio dicitur.* Confer. EIVS de cogn. et curand. morb. libr. I. pag. 107. 108. 110. HOFFMANNVS demum (*Medic. syst. ration. Tom. IV. P. I. pag. 907.*) phrenitidem morbis inflammatoriis aperte adnumerat, atque (*pag. 409.*) sectionibus, suam sententiam confirmantibus, vitur. Neque veteres etiam medicos, de vera phrenitide loquentes, hisce recentiorum sententiae repugnare, docere possunt ea, quae FOESIVS (*Oeconom. HIPPOCR. pag. 400.*): PISO et SWIETEN (*ll. cc.*) collecta tradiderunt. Ut ergo ex his omnibus pateat, phrenitidem dici debere febrem, ortam ex inflammatione aut cerebri aut meningum; hinc enim illud delirium*

riūm exurgit, quod medici phrenitidis voce proprie innuunt atque indignant, prouti id ex Pathologia constat.

§. IV.

Phrenitidis non inflammatoriae ratio.

Nunc vero hisce recentissimorum quorundam Medicorum observata parum respondere visa sunt. Occurrit (Journal de Médecine etc. Tom. X. Avr. 1759.) phrenitidis verae casus, sine inflammatione et febre productae, e quo *Clariss. SVMIERE* concludit, dari phrenitides veras, quas nec febris, nec inflammatio meningum comiterur. Quum enim, vena iugulari secta, acutum delirium decreverit: hinc inflammationem meningum abfuisse suspicatur; cumque nec pulsus extiterit febrilis: acutum illud delirium febre expertis fuisse arbitratur. Potest vero huic sententiae opponi 1) venae iugularis sectionem potuisse, licet inflammatio meningum extiterit, morbi decrementum, intra breve temporis spatium, producere. Cum enim venaesectio, in vicinis maxime locis instituta, reuellentem exerat effectum: stasis inde inflammatoria acutum imminui potest, sicuti id etiam venaesectiones, in pleuritide vera laborantibus institutae, luculenter docent, utpote quae acutum dolores minuere solent, licet eorum recursus non semper praepediri possit, quod quoque, quoad deliria, contigit in casu *Clar. SVMIERE*. Potuit autem is venaesectionis effectus eo facilius accidere, quo certius est, quod deliriorum, phrenitidi accedentium, causa non soli inflammationi; sed etiam simplici ex parte sanguinis versus cerebri vasa congestioni, maiori orgasmo et quandoque plethorae, quae omnia venaesectioe satis cito tolli possunt, tribuenda sit. Denique vesicatoria, ad nucham applicata, quorum usu, ut faterur *SVMIERE*, insignis effluxit seri copia, potuerunt venaesectionis effectum accelerare. Quare ex ceteri hoc venaesectionis effectum nondum concluderem, nullam ob-
nuisse

nuisse inflammationem, cum praepriis delirium reliquaue mor-
bi phaenomena tam cito recruduerint, noua venaeſectione tollen-
da. 2) Si attente tota morbi historia perlegatur: nec febrem de-
ſuiſſe conſtabit, licet pulſus exſtiterit minus febrilis. Contra-
rae enim ſibi, aeger morbum ex inſolatione, quae ſanguinem com-
mouet, motusque inflammatorios ſuſcitatur. Conſer. *Illuſtr.* RICH-
TERI *Diff. de inſolatione ſeu poteſtate ſolis in corp. hum.* (Gött.
1747.) §§. VII. VIII. Quod uero pulſus febrilis abſuerit, non
mirabitur is, qui nouit, ueras quandoque febres aſſeſſe, licet pul-
ſus non ſolum non febrilis, uerum etiam naturali tardior obſer-
uetur. Vid. ea de re imprimis *Illuſtr.* DE HAEN (Rat. Medend.
Part. XII.) 23) Tam ueteres quam recentiores medici quam opti-
me intellexerunt, poſſe a ſimplici ſanguinis phlogoſi delirium acu-
tum enaſci, hoc tamen uerae phrenitidis nomine indignum iudi-
carunt (§. anteced.). Quodſi ergo, ut uult *Clariff. SYMPTERE*,
delirium illud acutum, ſine cerebri inflammatione contigerit: nec
debet ad phrenitidem referri, cum id loquendi uſui repugnet,
nec nouam plane obſeruationem ſiſtit, cum id omnibus iam notum
fuerit.

§. V. *Aliud phrenitidis non inflammatoriae exemplum.*
Non plane noua eſt eorum ſententia, qui phrenitidem a pri-
mis uis, cruditatibus repletis, repetunt. Monuit enim *Perill. v.*
SWIETENI (c. I. Tom. II. §. 701. pag. 327.); *HIPPOCRATEM* iam
dixiſſe, phrenitidem fieri a bile, quando commota ad uiscera et
ſeptum tranſuerſum reſederit. Faterur quoque *SWIETENI* (l. m.
c. pag. 327.): *Monitus ab optimo praeceptore, frequentem ſatis*
delirii in febribus cauſam eſſe ſordes, circa praecordia collectas,
poſtea attentas huius rei uidi, ſaepe hoc veriſſimum eſſe; et uni-
co vomitorio dato, excuſſa haeſe februra, recordor plures illico re-
ſpiciſſe. Atque haec de acuto et feroci delirio febrili ſimul dicta
eſſe,

esse, ea docere possunt, quae habentur l. c. §. 771. pag. 580. Quibus vero licet ita comparatis, illi tamen egregie errant, qui *vel* sine mora hoc, a cruditatibus primarum viarum oriundum, delirium acutum phrenitidem nominant, *vel* his exemplis sic abutuntur, ut numquam phrenitidis causam in cerebro latere iudicent. Prius ut pateat: sequentia notanda sunt. Quando ventriculi cruditas delirii existit causa: duplici id ratione efficere potest. *Vel* enim acris ista massa, relicto ventriculo, sanguinem ingreditur, cumque eo cerebro infertur; *vel*, solo consensu partium, delirium excitat. Si prius, atque materia simul inflammationem cerebri, quam irritans atque obstruens accendere potest, producat: vera hinc, licet symptomata, oritur phrenitis (§. III.). Quodsi vero materia ista peccans in ventriculo retineatur, atque, solius ideo partium consensus auxilio, delirium causetur: *vel* inflammationem simul cerebri efficit, *vel* non. Illud fieri posse, licet materia distitis inhaereat regionibus, non solum exempla ruboris oculorum et ophthalmiae docere possunt, quae interdum illico cessant, quando peccans e ventriculo materia diminuta est, sed patet id etiam, quando natura inflammationis, habita simul consensus, qui ventriculum inter et cerebrum obtinet, ratione, consideratur. Consensu enim ventriculi cum cerebro fit, ut materia acris & corrupta, ventriculi nervos vellicans, cerebrum quoque, quacunque demum id fiat ratione, irriter. Nunc vero cerebrum maxime sensibilem corporis humani partem constituit, quod HALLE-RI experimenta ostendunt; notumque est, inflammationem suscitari, quando in sanissimo etiam homine, pars valde sensibilis potenter irritatur, prouti id erysipelas, a punctura animalium pendens, suadet. Quare irritatio ventriculi, rapti in consensum cerebro, huius inflammationem efficere valebit, quae dein, si vere oriatur, phrenitidi accenseri potest (§. III.). Quando autem primarum viarum cruditates delirium acutum sic producant, ut cerebrum tantum irriterent, nullamque eius inflammationem accendant:

dant: id, licet acutum fistat delirium, ad phrenitidem referri non debet (§. III.). Pater ex praedictis simul, quam egregie errent, qui, quando delirium acutum a primis viis ortum observarunt, hinc sine mora concludunt, eiusmodi delirium sine cerebri inflammatione contigisse; ostendendum praeterea his esset, impuritates istas nullam effecisse inflammationem cerebri, quod fieri tamen posse, euici. — Videntur quoque Medicorum nonnulli deliriorum acutorum, e primis viis oriundorum, exemplis sic uti, ut credant, phrenitidem ventriculo magis, quam cerebro, dandam esse. Verum enim vero non satis hi perpendunt, 1) dari phrenitidis casus, in quibus cerebrum manifesto praecipuam partem affectam fistit, si v.g. phrenitis ab insolatione nascitur; 2) plures, praeter ventriculum, dari partes, quibus *remota* phrenitidis causa inhaerere possit. Nonne enim phrenitis a diaphragmatis, pulmonum, musculorum intercostalium inflammatione oriri potest? 3) multas phrenitides, quas vocant, quasque primis viis tribuunt, non esse veras phrenitides; 4) cerebrum phrenitidis, licet etiam a ventriculo proficiscatur, praecipuam nihilominus esse sedem, cum nunquam delirium, multo minus acutum, oriri queat, nisi cerebrum valde turbetur.

§. VI.

Angina gangraenosa.

Anginae gangraenosae nomine duplex corporis humani status indicari a medicis solet. Nonnumquam enim, ea voce, indignant anginam inflammatoriam, quae transit in gangraenam. Sic BOERHAAVIUS iudicasse videtur. Quando enim (l. c. §. 816.) anginam gangraenosam describit: haec tantum habet: *Si tandem causae anginae (nempe inflammatoriae) augmentur, et in parte nobili magis haerent, vel et in externis, saepe abit in gangraenam letalem.* Interea et alia datur angina gangraenosa, cuius causa haec maxime adferuntur, quaeque grauitati inflammationis nullo modo

modo tribui potest. Eius mentionem fecit *Perillustr.* SWIETEN
(l. c. pag. 698.) *Quandoque, inquit, deponitur ad loca quaedam*
corporis aliquid adeo malignum, ut perfecta morte destruat par-
tem, in quam decumbit—frequenter satis observatur, scorbuticam
acrem materiam ad gingivas, linguam, palatum, fauces deponi,
et gangraenam facere; quae, licet difficilis curatu sit, tamen non
omnino incurabilis habenda est, si in tempore efficax medela ad-
bibeatur. Quam anginae gangraenosae speciem ILLVM ab inflam-
matoria separasse, sequentia etiam docere possunt. *Patet, inquit,*
gangraenam faucium, quae validam insequitur inflammationem,
vix medelam capere; illam vero, quae absque praegressa inflam-
matione, a depositione maligni humoris ad has partes oritur, pe-
riculosam quidem esse, saepe tamen curabilem, si statim efficax
medela adhibeatur, quod hoc loco monendum videbatur (l. c. pag.
699.). Hanc nunc anginae gangraenosae speciem paullo curatius
considerabimus.

§. VII.

Eius ortus.

Videtur autem angina ista, quam modo dixi, gangraenosa,
duplici modo, quantum observationes docent, oriri. Interdum
enim vere *symptomata* est, aliique morbo superuenit. Sic §.
anteced. vidimus, anginam eiusmodi gangraenosam scorbuto non-
numquam accedere. Scorbuticorum enim sanguis, adeo saepe ad
summam putredinem proclivis, quamdiu per vasa sua adhuc fluit,
hoc ipso motu paullo contra maius putredinis incrementum defen-
ditur. Quando autem maligne his illiusque vasis locisque ita infer-
tur, ut subsistat motuque suo priuetur: cessante ulteriori putredi-
nis impedimento, in veram abripitur non solum putredinem, sed
solida quoque, sua putredine, contaminat, quae motus sanguinis
sarta tecta quoque adhuc servauerat, atque tunc gangraena oritur. At
enim vero scorbutus, sua natura, os atque fauces aggreditur,
quod

quod cruentationes gingivarum, ulcera harum partium et alia symptomata scorbuti luculenter declarant. Nonne itaque scorbutus anginam eiusmodi gangraenosam, sine etiam praegressa inflammatione, producere potest? Verum enim vero dantur, praeter scorbutum, alii etiam morbi compositi, quos interdum similis angina gangraenosa subsequitur. Morbilli huc maxime pertinent. Reuoco huc morbillos, qui Viennae 1732 visi sunt, licet angina gangraenosa, iis accedens, inflammatoriam satis simulauerit. Describit hanc epidemiam *Illustr. DE VIOLANTE*. *Primo*, inquit, *febre valde acuta et inflammante aegrotantes adoriebantur, et in prima febris periodo morbillorum eruptio apparebat; maculae vero in hac corporis parte rubrae, in illa pallidae conspiciebantur, cum faucium inflammatione: secunda, vel tertia febris die sphacelus in faucibus adevat, alius laxa erat; maculae evanescebant; postremo aegrotans brevi temporis spatio moriebatur, tertia scilicet, vel ad summum quarta aegrotationis die*. Vid. *EIVS* Tr. physico. mech. de *Variol. et Morb.* pag. 152. §. XVI. Qui tempus gangraenae et sphaceli considerat, malignitati magis materiae, quam inflammationis gratuitati, hanc anginae gangraenosae speciem tribuet. Post morbillos *HUYNHAM* notavit faucium et oris gangraenam, maxillae porro et vomeris ossis cariem, vnde mortem miserrimam. Confer. *EIVS Oper. physic. med.* Tom. I. pag. 319. Petechialis, scarlatinus morbus et similes eandem anginam, ob succorum magis malignitatem, quam inflammationis vehementiam, produxerunt. Atque haec de symptomata. Interdum autem angina eiusmodi gangraenosa adeo epidemice inter homines, pueros imprimis, grassatur, ut idiopathicum morbum repraesentare recte iudicetur, licet forsitan ab ea ipsa materia, cui angina adscribenda, alius morbus. v. g. petechiae efficiatur. Huc refero anginam illam gangraenosam, quam descriptam legimus in *Diff. Illustr. BOEHMERI de febre catarrhali maligna epidemica angina gangraenosa stipata* (Hal. 1768.), cuique similem descripserunt *FOTHERGILL, HUYNHAM*

HAM

HAM et plures alii. Huc etiam pertinent D. WALL de vlcerosâ seu gangraenosa angina obseruationes, quae legi possunt in *Cel. b. m. HUTH Sammlung verschied. die Fiebertende betreffender Abhandlungen und Nachrichten Th. II. pag. 186 seqq.* Docuerunt obseruationes, aërem tunc, quando anginae huius gangraenosae tyrannus homines exercuit, eius indolis existisse, vt putredinem humorum inducere facile potuerit, faucesque ita disponere, vt enatam in corpore malignam materiam sine mora recipiant. Calidus imprimis, simulque humidus ac putridus huc reuocari debet (*cf. Illustr. BOEHMERI Diss. cit. VIII.*). Quare ex his etiam causis apparet, eiusmodi anginam idiopathicam magis, quam symptomaticam existere, cum causae scilicet eius ita comparatae sint, vt non sola humorum putredo inde enascatur, quae plures alios morbos ingenerare possit, sed fauces ita quoque simul afficiantur, vt his magis, quam reliquis partibus, maligna materia inferri debeat.

§. VIII.

Differt ab inflammatoria.

Non opus hic esse censeo, inquirere: an omnis faucium affectus, laesam aut respirationem aut degluttonem inducens, satis bene *angina* dici queat? An non potius eo vocabulo tunc demum vtendum sit, quando affectio ista inflammatoria est? In verbis enim faciles sumus. Videtur interea, vel sola nominis conuenientia, quosdam inter Medicos eo deduxisse, vt anginae gangraenosae methodum antiphlogisticam destinauerint, atque eam, quae morbis inflammatoriis solum opponi debet. Ostendendum itaque, anginam, quam §. anteced. adumbrauimus, multum ab inflammatoria differre. Quod quidem facile patebit, si consideretur 1) deficere, ea praesente, inflammationis vera phaenomena. Sicut in febribus inflammatoriis sanguis spissitudinem ostendere (§. II.); praesente autem angina gangraenosa non raro valde resolutus conspicitur,

spicitur, ut etiam haemorrhagiae inde non raro periculosae eveniant. Confer. WALL I. c. pag. 196. 221. Idem confirmatur epidemia, quae in citat. Illustr. BOEHMERI Dissert. descripta legitur (§. II.). Pulsus praeterea, nisi forsitan, ob accedentem simul plethoram, inflammationis particeps fiat morbus, debilis magis est, quam fortis et durus. Neque aestus, nisi plethora forsitan addit, tantus est, quantus in adeo atroci inflammatione, qualem angina sistit, esse solet. Solvitur demum morbus per intensiores magis excretiones serofas, interdum etiam exanthemata, quam haemorrhagias naturales, quae alias, si verae occurrunt inflammationes, non minimum auxilium adferunt. Pluribus vid. Neue Sammlung medicinischer Wahrnehmungen. Zweyt. Band pag. 109 sq. 2) curationem anginae gangraenosaе multum ab ea recedere debere, quae inflammationibus destinatur. Notavit id imprimis WALL I. c. Infelix semper existit curatio, quando antiphlogistica methodus adhibebatur. Quid? quod testatur WALL (I. c. pag. 196.), fuisse quosdam inter aegros, qui febrem inflammatoriam parturire videbantur, cum pulsuum adfuerit plenitudo et durities; quibus si antiphlogistica remedia commendata fuerint, putredinem sua per signa se declarasse, summamque virium prostrationem abortam esse. Sola autem antiseptica vtilia fuerunt, ea etiam, quae simplici inflammationi minus bene opponuntur, ut cortex peruvianus, quem omnes hic laudant.

§. IX.

Pleuritis biliosa et putrida.

Vera pleuritis febrem inflammatoriam sistit, quam musculorum intercostalium inflammatio comitatur. Fuere equidem Medici, quibus, sedem pleuritis in pulmonibus ponere, placuit, ut HOFFMANNVS, TRILLERVS, HALLERVS, TISSOT et alii; nimis tamen pleuritis et peripneumoniae symptomata differunt, quam ut una eademque pars utriusque morbi sedes esse possit.

possit. Neque proprie, ut alii volunt, in pleuram reſici pleuritis debet, cum ea inſenſilem magis membranam repraeſentet, in quam vera inflammatio vix cadere poteſt, licet vaſa, quae eam perambulant, in pleuritide ſanguine turgida, immo a morte interdum cum tota pleura corrupta concipi ac apparere queant. Obſervatio *Donald. MONRO* digna eſt, cuius hic mentio, injiciatur. Ich habe, inquit, nach der Deſnung der Leichen ſolcher Leute, welche an der Peripneumonie geſtorben ſind, die Lunge heftig entzündet, blaunigt und ſo mit Blut angefüllt gefunden, daß ſie in Waſſer untergegangen, ohne daß die Pleura ſehr beſchädigt geſeſen, und bey der Deſnung der Bruſt bey andern, welche an den Seitenſtichen geſtorben, die intercoſtal Muskeln und Pleura heftig entzündet, mit blaunigten Flecken gefunden, da doch nur ein kleiner Theil der Oberfläche der daran liegenden Lunge gelitten, ich kan daher nicht umhin, ſelbige als beſondere Krankheiten anzusehen. Vid. *EIVS* Beſchreibung der Feldkrankheiten, 1c. pag. 102. Docent haec, pleuritidem quidem et peripneumoniam facile coniungi, illius tamen ſedem in musculis magis intercoſtali- bus aſſumendam eſſe, e quorum etiam inflammatione phaenomena verae pleuritidis quam optime explicari poſſunt. A vera hac pleuritide non ſolum differt vulgo ita dicta *ſpuria pleuritis*, quae in ſpasmio tantum quodam aut rheumatismo, pectoris dolorem, in partibus praepriis externis, efficiente, conſiſtit; ſed illa etiam, quae a bilioſa aut putrida gignitur materia, quaeque ideo aut *bilioſa*, aut *putrida* nominatur. Haec, quod dolorem anxiamque ideo reſpirationem ſpectat, inflammatoriae quidem ſaris ſimilis eſſe deprehenditur. Diverſam tamen eſſe ab inflammatoria intelligimus, ſi ortum illius, reliqua phaenomena, et curationem, cum ortu, phaenomenis et curatione pleuritidis inflammatoriae comparamus, quae iam exponam.

Illius ortus.

Plures sunt medici, qui pleuritidem, aut biliosam, aut putridam, descriperunt, quorumque ideo observationes, ortui huius morbi intelligendo, inferuire possunt. Vid. v. g. *Claviff. BOVTEILLE* Observat. de usu laxantium in pleuritide (*Neue Sammlung medicinischer Wahrnehm. Erst. Band, p. 10. seqq. TISSOT* Lettre à M. ZIMMERMANN sur l'Epidemie courante, Lauf. 1765. *EIVS* Abhandlung von der Epidemie in Lausanne im Jahr 1766. (Zürch 1767.). *BOSCH* *Histor. constitut. epidem. verminosae* (Lugd. Batav. 1769.) pag. 246. et alii, qui passim ab his laudantur. Patere ex eorum observationibus potest, tam biliosam, quam putridam pleuritidem frequentissime a bile corrupta putridaque materia, primarum viarum canali inhaerente, oriri. Virgent ideo omnes, quos laudavi, ea euacuantiâ, quae ventriculum et intestina purgant, satenturque, ab horum solum usu felicem morbi peractam esse curationem. Potest materia ista, aut biliosa, aut putrida, duplici modo pleuriticum illum dolorem efficere. Namque 1) cum obfertur, rufles, pectoris dolores, aliaque incommoda, quae thoracem affligunt, solo partium consensu, a latente in primis viis materia adeo frequenter enasci: non absolum certe erit, si assumamus, dolorem etiam pleuritidi similem, sic oriri posse a materia, quae nondum ad sanguinem transit; hac saltem ratione dolor, a materia sanguinem iam inquinante exortus, augeri potest. Videntur hunc pleuritidis biliosae aut putridae ortum observationes confirmare, cum purgantia citissimum saepe auxilium attulerint. Confer *BOSCH* l. c. pag. 232. 233. vbi *GABVCCINI*, *BALLONI* et *RIVERII* observationes adducit, quarum similes ipse *Celeberr. BOSCH* enarrat (l. c. pag. 247. seqq.). Eadem autem materia pleuritidis phaenomena efficit 2) quando ad sanguinem transit, dein vero per metastasin pectori illata est. Hinc enim factum

factum est, vt **TISSOTVS**, parcus alias diaphoreticorum cultor, sudorifera, in curanda biliosa et putrida pleuritide, tunc adhibuerit, quando primae viae emeticorum et laxantium vsu bene purgatae fuerunt. Quamuis autem primarum viarum cruditates frequentissimam huius pleuritidis constituent causam: attamen, primis quoque viis illaesis, illa gigni potest, quando, siue a constitutione aëris epidemica, siue spontanea corruptione, sanguis infectus adque subeundam putredinem pronus factus est, seque ad pectus contulit. Confer. *Cl. BOVTEILLE* l. c. *BOSCH* l. c. pag. 282. 283. qui etiam putridae scorbuticae, a *D. STEVENS* descriptae, mentionem iniicit. Patere ex hucusque dictis potest diuersitas, quae ortum inflammatoriae atque putridae ac biliosae pleuritidis intercedit. Dolor enim pleuriticus, natus ab inflammatione, diathesi inflammatoriae deberur, musculis intercostalibus illatae (§. II. IX.); pleuritis autem putrida et biliosa nascitur ab acri solum leuioreque inde oborta sanguinis stagnatione, eo tantum excepto casu, vbi inflammatoria simul accedit.

§. XI.

Diuersitas quoad symptomata.

At enim vero non ortu solum, sed peculiari etiam symptomatum ratione, praedictae pleuritidis species differunt. *Vrina*, quae intensiorem in pleuritide inflammatoria rubedinem ostendere solet, minus inflammatoria in putrida existit. *Clar. BOSCH* (l. c. pag. 246.) in febribus pneumonicis putridis urinam plerumque turbidam, iumentaceam, non subsidentem, coloris flauescens, vel subsidentem cum hypostasi inaequali disrupta, aut etiam cum albo sedimine obseruauit; nullum autem aegrum sibi repraesentare potuit, qui rubicundam similemue

C

in

in fundo matulae deponentem materiam reddiderit. *Pulsus* quoque minus durus ac fortis apparet. Notavit BOSCH in, quae vermibus debetur, pleuritide putrida, *pulsum* exstitisse *vacillantem, quibusdam mollem, aliis intermittentem, raro durum vel vere inflammatorium, nisi sub vermium irritationibus, quo tempore intendebantur et tussis et laterum dolor vna cum febrili paroxysmo* (l. m. c.). Simili modo restatur TISSOT (von der Epidemie in Lausanne pag. 39.), in putrida pleuritide *dolorem fuisse minorem, pulsum vero molliorem, magis paruum ac minus celerem* quam in biliosa, de qua iam fatetur (l. c. p. 31.), raro in ea venaesectionem indicatam esse, quam certe eiusmodi pleuritis saepius indicasset, si pulsus aequae, ac in pleuritide inflammatoria, durus ac fortis comparuisset. *Aestus* quoque et *dolor* mitiores esse solent, ac in inflammatoria. Denique eiusmodi huic pleuritidi accedunt symptomata, quae putridis febris foemnia sunt, atque cruditates primarum viarum maxime corruptas indigitant, quae absunt in pleuritide inflammatoria.

§. XII.

Methodus medendi diuersa.

Quando, vt hucusque vidimus, pleuritis biliosa et putrida, tam quoad ortum, quam quoad symptomata, ab inflammatoria differunt: nec methodus medendi eadem esse potest. Pleuritidi inflammatoriae venaesectionio, eaque plerumque repetita, quam optime medetur; pleuritis contra ea putrida ac biliosa, si purae adfuerint, vsu venaesectionis interdicitur. Quamuis enim, vt fatetur *Clar. BOVTEILLE*, dolorem quodammodo minuat: veram tamen morbi causam non aggreditur, miserum affert solatium, aegrumque magis debilitat. Docuit praeterea TISSOT in suo *de febris biliosis tractatu*, venaesectionum actionem acris, laten-

latentis in sanguinis oceano, intendere; hincque sua natura in putridis morbis nociuam existere. Nonne ergo venaesectio, in putrida biliosaque pleuritide admissa, similia damna inferat necesse erit? Pleuritis porro inflammatoria usum sudoriferorum non facile permittit, cum tenuissimam sanguinis partem nimium expellant, sicque reliquam in corpore retentam magis inspissent, fluidaque immeabilia reddant. In putrida contra ea et biliosa pleuritide eadem remedia laudauit TISSOT, post suppressos sudores tristitia in aegris damna obseruans. Atque fatendum etiam, haec remedia omnium esse aptissima, per quae materia acris, e primis modo viis ad sanguinem vecta, modo in sanguine ipso enata (§. X.), eici queat. Emericorum usus in pleuritide inflammatoria, quamdiu morbus viger, prohibetur; laudant haec ipsa remedia in putrida et biliosa pleuritide, quando eam a primis viis oriri indicant, TISSOT, BOVTEILLE et alii. Purgantia quoque in vera musculorum intercostalium inflammatione minoris sunt, quam in putrida et biliosa pleuritide, quae scilicet ventriculo et intestinis debetur, efficaciae. Atque ut tribus omnia complectar, pleuritidi biliosae & putridae ea magis methodus responderet, quae acri obuiam iri potest, quam antiphlogistica et refrigerans.

§. XIII.

Potest tamen inflammatoria accedere.

Ne quis tamen puter, in ea me versari opinione; ac si nulla pleuritis, quae ab acri, aut putrido, aut bilioso enascitur, inflammatoria fieri queat: praedictis addendum esse cenfeo, nulla me ratione negare, posse ab acri eiusmodi materia, pro subiectorum caussaeque ipsius diuersitate, pleuritidem vere inflammatoriam effici. Omnium enim acrium ea est natura, ut illata partibus, in quibus inflammatio accendi potest, hanc facile excitent

atque producant, si corpori praeprimis inhaereant plethorico, cholerico, aut alias ad diathesin inflammatoriam disposito. Plures etiam id confirmant casus, quos *Clar. BOSCH* l. c. recensuit. Atque hinc forsitan factum est, ut l. c. pag. 281 dicat: *male neotericorum quidam, noui morbi titulo peripneumonias putridas insigniunt, aut earundem fomitem in primis tantum viis ponunt, cum reapse et multiplici specie notabiles occurrant.* In hac quoque pleuritide inflammatoria accessoria laudare videtur cum aliis venaesectionem (l. c. pag. 284.), quae tamen ita celebrari tunc debet, ut acridinis humorum simul habeatur ratio.

§. XIV.

De peripneumonia notha.

Quae de pleuritide biliosa atque putrida dicta sunt, ad peripneumoniam facile, a similibus causis productam, applicari possunt. Verum de peripneumonia, quam *SYDENHAMVS* (*Observ. med. circa morb. acut. histor. et curat.* Sect. VI. Cap. IV.) et *BOERHAAVE* (l. c. §. 867.) *notham* dixerunt, nonnulla dicenda supersunt. Dixit *Clar. BOSCH* l. c. 282: *peripneumoniam notham Sydenhami et Boerhaavii in laxis pleurumque sine malo omine decurrere, in rigidis autem aliquando satis esse malignam atque fere semper putridam; male eandem a quibusdam cum catarrhali exquisita confundi, cum vix sensibili euacuatione, nisi quae per vesicatoria eliciatur, aut in fine saluari diarrhoea, vel copiosa saluatione solvantur, pulmones potius prae ceteris obsideat, atque sputis copiosis tenacibus tollatur.* Quaeritur: an haec satis bene dicta sint? Si ad ea attendas, quae *SYDENHAMVS* et *BOERHAAVIUS* de ista peripneumoniae specie disseruerunt: patebit facile, eam speciem esse erysipelatosae pulmonum inflammationis. Notauit enim

enim SYDENHAMVS, vrinam in ea obseruari turbidam et intense rubram, atque a BOERHAAVIO ad eius subiecta omnia ea referuntur, de quibus alias notum est, ea erysipelas facile incurere (l. c. §§. 71.). Neque illi errare videntur, qui peripneumoniam illam notham ad catarrhales reuocant affectiones. Non solum enim catarrhosi ad eam concipiendam inclinant (Boerhaave l. m. c.), sed satis etiam constat, grauiorem catarrhum nares faucesque erysipelate haud raro afficere. Nonne simile quid, quoad pulmones, in nonnullis contingere poterit? Praeterea solutio morbi, quae per saluationem, excretionem cutaneam et diarrhoeam fit, cum catarrhali solutionibus conuenit. Causae quoque peripneumoniae nothae catarrhorum causis respondent. Denique momenta, quae adduxit *Clar. BOSCH*, nullius sunt ponderis. *Partim* enim in catarrhales affectus aequae, ac in peripneumoniam notham, quadrant, *partim* nulla in hoc morbo adsunt putridi signa. Male itaque ad putridam refertur peripneumoniam, maleque etiam negatur, eam catarrhalibus affectibus adnumerari posse, ad quos vere pertinet.

§. XV.

Febres continentis.

Superest, vt de febribus continentibus quaedam afferam, atque ostendam, eas, si paullo grauiores fuerint, febribus inflammatoriis vere adnumerari posse. Patebit id; si consideretur: 1) febres continentis in iisdem subiectis enasci, quae ad concipiendas inflammationes prona esse deprehenduntur; 2) eas oriri a causis, quae generandae diathesi inflammatoriae pares sunt; 3) eas eadem plane ratione solui, ac febres inflammatoriae solui solent; 4) eas demum in veras inflammationes par-

tium abire, quando aut venaesectio negligitur, aut haemorrhagiae naturales supprimuntur; 5) eas symptomatibus inflammatoriarum febrium stipari, rubore nempe, ardore partium, ea plane ratione determinatis, ac in particulari inflammatione enascuntur. Denique 6) eas ea curari methodo, quae febribus inflammatoriis destinatur. Recte itaque *Illustr. b. m.* HOFFMANNVS (Med. system. ration. Tom. IV. Part. I. Sect. II.) synocham febrem ad inflammatoriarum numerum reduxit, easque vniuersales inflammatorias (l. c. pag. 324.) dixit, de quibus affirmat, illas adesse, quando omnes fere sensu et motu instructae partes, maximeque nervoso-membranaceae, leuiori inflammatione affectae deprehendantur. Atque hic subsisto.

T A N T V M.



Iam grata fausto voluitur omine caele
Dies amicis, grata parentibus,
Laudisque diues, quae profanis
Tecta latet, populoque inani.

RITTERE cernis laeta sodalium
Choros parantes munera? me inuat
Lyram increpare; namque fido
Dulce mihi canere est amico.

Sed heu! canorum non mihi barbiton.
Adeste Apollo, vosque Heliconiac!
Votis adesse quae soletis
Carminibusque piis disertae.

Ianua tenentem te video gradus
Musis dicatos: inclyta laurea,
Decus superbum artis periti
Poconiac, renitet capillis.

Iam docta dantem signa scientiae
Pugnantis acres effugere impetus,
Partamque vindicare palmam,
Elidis haud ita claram in vrbe.

Adstant Camoenae, cum Charitum choris,
Strepuntque laeti murmura gaudii,
Nouaeque laudis, atque plausus
Nuncia fama nequit latere;

Totam per urbem peruolat impigra.
O! si beato purpurea mihi
Fas osculari tē decorum
Infula, amice; pia sacratas

Manu quot ardens tunc tibi neclerem,
Molles coronas, suaue rubentibus,
Spiffisque floribus nitentes,
Quaeque meret monumenta virtus:

Diuina virtus, qua viridis tva
Fulget iuuenta, intacta sceleribus.
Hanc o! memento intaminatam
Conspiciamque tueri, crisque

Satis beatus, rebus in arduis,
Constans secundis et moderatior,
Minusque laudes aestimabis
Arbitrio popularis aurae.

CLARISSIMO RITTERO

fauista quaeuis precatus lufit

I. H. F. MEINEKE

Ul. Gymn. Quedl. Subconr.

ULB Halle
001 516 159


3




56

WIP







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MORBIS QVIBVSDAM
INFLAMMATIONES
SIMVLANTIBVS AVT DISSIMVLANTIBVS.

9
1769, 16

QVAM
INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO
FACVLTAT. MED. SENIORE ETC.

PRO
GRADV DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XII. OCTOBR. CIOIOCCCLXIX.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS WILHELMVS RITTER
CALBA - MAGDEBVRGICVS.

HALAE
LITTERIS HENDLIIANIS.